

12



~~100~~ PAVLYS ab EITZEN

Viventes morimur, morientes vivimus, ergo
Vive memor mortis, mortemque pauescere noli.

Vita malis plena est, pia mors, preciosa res est.

Vitam mors sequitur: sed mortem vita peccata.

Mors nobis lucrum, quia vita est Christus Iesus

D. Bernhards

Mors piorum est finis malorum, et janua ad vitam

D. a. 18

~~2 A. 7. 915.~~

00 SL



d
MEMORABILI
LES ALIQUOT

Euentus Anni proxi-
mè elapsi

M. D. XCV.

FIDELITER AN-
NOTATI.

QVIBVS ACCESSERVNT
EPISTOLÆ DVÆ
ad Sigismundum III. Polo-
niæ & Sueciæ Regem.

VNA

Clementis VIII. Pontif.

Romani,

ALTERA

Cham Kazikierey Tartaro-
rum Czarij.



EXCVSI Anno.

M. D. XCVI.

Reverendo, Nobili & Magnifico Domino,
IOANNI GEORGIO à VVER-
DENSTEIN, INCLYTI BOIORVM DV-
cis Consiliario, Canonico Augustano
& Eichstetensi, patrono
suo.

AB eo tempore, quo in hanc littoris Balthici Aca-
demiam, ante quadraginta quinque annos, pri-
mum ad docendum vocatus veni; servavi hunc
morem, ut singulis annis, Principum, qui Arctois his
gentibus præfuerunt, & præcipuarum mutationum, ac
rerum in Saxonia, & vicinis gentibus, nobis notis, acta-
rum: seriem breviter annotarem. Semper enim his,
qui studijs doctrinæ præfuerunt, simul commendata fuit
confectio Annalium, & cura conservandæ memoriæ su-
periorum temporum, & rerum præsentium ad poste-
ros propagandæ: sicut in populo Dei, Sacerdotibus;
& Romæ Pontificibus rerum gestarum conservatio
& commendata fuit. Ex his anniversarijs consigna-
tionibus volumen istud Chronici Saxonie, quod tan-
toperè tibi probari, & in itineribus iucundi comitis
loco esse testaris, primò natum est. Meritò autem à te
sapiente & laudato, summæq; autoritatis viro hunc la-
borem laudari letor: tibiq; vir Magnifice, παραλαβόν-
τως Chronici ad præsens usq; tempus, desideranti;
libenti animo gratificor, & anni proxime elapsi, 1565.
& duorum superiorum, consignationem brevem, ut petis
mitto, & DEVM, ut M. T. incolumem & florentem
servet, & nos singulos doceat, gubernet ac
servet, oro. Datum 30. Ianuarij.

ANNO. 1596.

P A X M O:
S C H I C A.



ANNO M. D. XCV.
incunte, P A X perpe-
tua, inter duo amplif-
sima orbis Arctoi Re-
gna, Suecorum & Moschorū,
post triginta septem annorum
bella, brevibus inducijs subin-
de interpolata, singulari D E I
beneficio, per legatos Sigis-
mundi Regis Sueciæ ac Polo-
niæ, & Theodori magni Ducis
Moschoviæ, restitui cœpit,
quæ 18. Maij tandem conclusa
est: cum arcem Kexholmam,
& territoria conjuncta, Moschis,
belli tempore adempta, Sueci
se reddituros, post limites re-
gnorum, vtriusq; partis volun-
tate definitos, pollicerentur.

A 2

Capti-

1595.

F O E D V S C A E S A R I S

Captiui vtrunque liberi dimissi, & Moschorum cum Suecis & Germanis commercia, Nervæ & Revaliæ restituta sunt. Quæ negotiationum instauratione, ingentē omnibus his gentibus Arctois, ac civitatibus imprimis Hanseaticis, & totius Balthici maris accolis, læticiã procreavit. Cujus eò gravior & justior causa fuit, quod in reliquis totius Europæ regnis, Gallia, Belgico, Germania, Vngaria & Polonia, bellis & rumoribus bellorum omnia perstrepebant.

Inter Cæsarem Rodolphũ & Sigismundum Bathor, Christophori filium, Transylvaniæ Principem, Moldavos & VValachos sibi adjunctos habentē;
socie-

societas & fœdus adversus Turcas, his conditionibus initum est: vt conjunctis animis ac viribus, bellum adversus hæreditarium nominis Christiani hostem gerant, ac neuter absq; altero pacem cum Turcis faciat. Transilvaniæ Princeps non subditus, vt olim, sed amicus & socius regni Vngariæ, & liber Princeps, nullius jurisdictioni subiectus sit ipse, & ex eo descendentes mares. Quibus deficientibus, ad Regnum Vngariæ Transylvania redeat, & per gubernatorem indigenam, salvis Provinciæ & singulorum Privilegijs, gubernetur. In bello mutuis se auxilijs necessarijs juvent. Si quid Transylvanus ex Turcæ imperio, suis viribus, re-

A 3 gionum

1595.

FOEDVS CÆSARIS

gionū occupabit, solus ijs fruetur, nisi ad Regnum Vngariæ antea pertinuerit. Tunc enim, velut feuda, à Rege Vngariæ recognoscet. Societatem aurei Velleris, & conjugem ex domo Austriaca Imperator Transylvano addicit Caroli filiam, ac, quod Deus avertat, si Transylvanus ex sua ditione excutietur, Imperator in suis provincijs territorium & reditus ei honestos tribuet.

8. Febr.

Hoc fœdere confecto, in Stiriam legatus Transylvani, Stephanus Pachaius, Pragâ profectus est: vbi, Maria Christiana, Caroli Archiducis Austriae filia, Reginae Poloniae soror, Transylvano in matrimonium tradita, & legato illius, quem dixi,

8. Martij.

per

ET TRANSYLVANI. 1595.

per Episcopum juncta, & in
communem lectum adlocata
est, ducentibus sponsam, Maxi-
miliano, Maximiliani II. &
Ferdinando, Caroli filio spon- 10. Mart.
sæ fratre, Archiducibus Au-
striae. Biduo post desponsatio-
nem, Græciâ legatus discessit,
quem, circa Pentecosten, spon-
sa in Transylvaniam secuta
est.

Ferdinandus Archidux Au-
striae senior, Ferdinandi Imp. 14. Jan.
filius, Maximiliani II. Imp. & Iuliani.
Caroli frater; Oeniponte, an-
ni huius initio rebus humanis
exemptus est, cui Rudolphus
Imperator fratris filius in gu-
bernatione amplissimi comita-
tus Tyrolensis, & conjunctarū
in Suevia, & Rheni tractu Au-

A 4 striaca-

BELGICA.

1595.

10. Febr.
Iuliani.

striacarum regionū, successit.
Ferdinandum, proximo sta-
tim mense, secutus est fratris fi-
lius, ERNESTVS, Archidux Au-
striae, Caesaris Rudolphi frater,
Gubernator Provincijs Bel-
gici recens ab Hispaniae Rege
praefectus, qui paulò ante, evo-
catis Bruxellam Belgij proceri-
bus, bellum in Gallia adver-
sus Henricum Navarrae & Gal-
liae Regem continuandum de-
creuerat. Hollandos enim, Se-
landos, Geldricos, Ultrajecti-
nos, Transisalanos, Frisios, &
his coniunctos Belgici popu-
los, à Rege dissidentes, & cum
Angliae & Galliae regibus fœ-
deratos: amica pacificatione,

1594.

in Comitijs Imperij proximis
decreta, Regi suo conciliatum

iri

iri sperabat, & jam Moguntinus & Saxo Electores, Saltzburgenfis & Palatinus Philippus Ludovicus, & civitates Noriberga & Colonia, subdelegatos suos, ad eam actionem profecturos, designarant. Quæ, inopinato Ernesti obitu, prorsus hoc tempore intermissa est.

Ernesti mortem antecessit Hollandiæ statuum & vni-
tarum prouinciarum, in Diœ-
cesin Coloniensem impressio
bellica, quam aliquoties, ob
non restituta Viduæ Comitis
Morsiani oppida & agros à ma-
rito relictos minitati fuerant.
Qua incursione, quadraginta
millia Ioachimicorum, ne in-
cendijs grassarentur, Diœcesi
illi extorserunt, sicut Osnabru-
genfis

gensis etiam Episcopi subditis, aliquot millia, & civitati Susato, quinq; millia Ioachimic. expresserunt. Paulò ante in diæcesi Leodiensi, munitissimam arcem Hvi ad Mosam, quatuor supra Leodium milliaribus, auspicijs Henrici, Ducis Bulionei, Turoni Vicecomitis, milites quidam à Statibus illi auxilio missi, stratagemate occuparunt, rustica veste tectis armis, & carnem ferinam gestantes, dominica Esto mihi (quæ in 26. Ianuarij nostri, 5. Februar. Gregoriani, Pontificijs hoc anno incidebat) cùm ad Missæ sacrum in oppidum, pauci milites præsidarij, Bachanalia deinceps liberius celebraturi, ex arce descendissent : sub
sacro

sacro ad portam arcis accedunt, & portæ custodi, Electoris Coloniensis literas, quibus se proximis Bacchanalium diebus, eò venturum denunciabat, exhibent. Intromissi, interfecto Portario, arcem vacuam occupant, & dato Socijs, ex intervallo ipsos secutis ac eventum sollicitè expectantibus signo, accedentes in arcem recipiunt, & biduò post oppidum etiam ii. Mart. deditioe accipiunt. Quod tamen post sex hebdomadas rursus in Episcopi potestatem venit.

Eodem mense ineunte, Amurathes III. Turcarum Imper. Selymi

lymi filius, Solimanni magni nepos, morte sua Imperium & vitam finiuit, cui filius MAHOMET III. triginta duorum annorum iuuenis magnanimus, acer, & vegetus successit. Qui ante quàm paterni corporis exuvias terræ mandaret, octodecim fratres, ex diuersis concubinis natos, strangulari, & cum patre honorificè in idè monumentum condi curauit. Sorores viginti septem, in Seraglio vivere permisit. Hic bellum aduersus Christianos à patre inchoatum, multò acrius & ardentiore impetu continuaturus existimatur.

Itaque noster etiam Imp. præter impensas belli, ab ordinibus Imperij in comitijs promissas

missas, à singulis etiam circulis
seu provincijs Imperij, certum
numerum equitum & peditum
extra ordinem flagitat. Quos
pleriq; Principes, in hoc com-
muni patriæ periculo, subveni-
re Imperatori promptis animis
conantes, suo sumptu condu-
cunt, Ac superior Saxonia
1200. equites; Sueuia, 4000.
pedites; Austriacæ regiones
2000. equites, & 6000. pe-
dites: VVestphalicus orbis
500. equites; 1500. pedites;
Bohemi etiam, Silesij, Mora-
vi, Lusatij, præter Pontificem,
Florentinum, Ferrariensem,
Mantuanum, auxilia prolixè &
fideliter conferunt. Quæ ex-
peditio, tantis sumptibus & la-
boribus, ab Imperij ordinibus
& alijs

1595.

DE TVRCI-

& alijs instituta, utinam Duce-
cem ad tanti belli administra-
tionem idoneum; & felicio-
rem quàm superiori æstate, &
magis salutarem Imperio &
Ecclesiæ Christianæ exitum sor-
tiatur.

In Comitijs regni Poloniae
etiam, Februario mense, Cra-
coviæ celebratis, præcipua de
bello adversus Turcas, conjun-
ctis cum Imperatore Rodol-
pho animis & viribus geren-
do, fuit deliberatio. Petierat
enim Imperator, ut Poloni
TVRCAM communem o-
mniū Christianorum hostem,
etiam suum hostem, publicè
statuerent, & sociale cum Cæ-
sare bellum adversus Turcam,
in

in tam propinquo & vicino periculo, susciperent. Etsi autem Zamoiscius, & alij ordines multi disputabant: Pacem inter Poloniae & Turciae regna hereditariam, quae jam 75. annos religiose culta & conservata esset, deinceps etiam non violari debere: & cum pace frui liceat, non temerè bellum non necessarium patriae attrahendum videri: tamen, ne Caesari auxilia & foedus roganti prorsus negare Regni ordines viderentur; ostendunt, se non alienos à societate belli esse, verùm id primùm agendum censere, ut summi quique Christiani orbis Principes, Papa, Hispanus, & caeteri, certo & stabili

1595.

DE TURCICO BELLO.

stabili aduersus Turcam fœdere omnes iungantur, utq; hæc consilia cum Principibus Imperij Electoribus primum communicentur, ut non cum Cæsare tantum, sed toto Imperio fœdus sanciat. Interea tamē, ad arcendam Tartarorum eruptionem, primo quoq; tempore, copias ad Poloniae fines, in armis præsto fore decernunt, ac de sumptibus belli constituunt, ut Iudæi, totam Poloniam passim magna frequentia inhabitantes, de singulis capitibus aureum: cæteri incolæ, ut Anno 1578. ad bellum Moschicum Stephano, contribuerent: Ecclesiastici Donativum liberale, in tam pio bello & pro Religione suscepto conferrent.

Missi

Missi ad hæc Comititia fuerunt à Rudolpho Imperatore Legati, Stanislaus Episcopus Olomucensis, & VVenceslaus à Berca, Baro in Daub & Leipza, Marscallus Regni Boëmiæ: missi præterea ab Electoribus Principibus Imperij legati: qui cum exeuntibus jam Comitij primùm advenissent, non multum cum his in publico Comitio agi potuit; incidentibus præsertim ferijs Paschalibus. Commissarij tamen ex Senatoribus Regni, alijsq; ordinibus vtriusque Poloniæ & Lithuanix XXI. constituti: qui de conditionibus fœderis cum Cæsare & Imperio faciendi, & cœteris, ad bellum gerendum spectantibus, cum Legatis tractarent

B

ac

1595.

P O L O N I C A.

ac decernerent. Legati tunc bona cum spe boni euentus vtrunque dimissi. Peculiarem etiam legationem ad hæc Comitia Regni Vngarię Ordines ex conuentu Poloniensi, auxilia peti- tum aduersus Turcas, miserunt: Extantq; horum omnium legatorum orationes publicè habitæ ad Regem & Regni ordines, typis descriptæ. Sed & præter hos tunc interfuerunt Comitij legati Principis Transsylvaniæ, vt & Moldaviæ: itemque Regina Angliæ legatus.

Vieniæ, Ferdinandus comes ab Hardec, & cæteri Rabæ & Pappæ traditores, ante tres menses in custodiam dati, hoc anno ineunte demum, in iudicio,

cio, cancellis ante arcem sub
dio erectis, & militum Duci-
bus iudicij assessoribus, publicè
lecta ex scripto accusatione, in
summum capitis periculum ar-
cessiti sunt, ac petatum, vt sin-
guli honorem, vitam, & bo-
na hoc scelere amisisse decla-
rentur. Respondendi spacio re-
is aliquoties concesso, tandem
4. Februarij ad sententiã con-
clusum est, de qua cum aliquot
adhuc dies à iudicibus consul-
tarum esset, postremò ad Im-
peratorem Acta iudicij & deli-
berata remiserunt, vt illius au-
toritate & arbitrio sententia
publicè promulganda sciscere-
tur, quæ, mense Maio demũ pu-

1595.

CAROLVS

29. Maij.
Iul.

blicata, & Comitibus dextrâ manu, et capite resecto, executioni data est. Exeunte autem Majo, filius Sigismundo Poloniae regi natus est, cui VLADISLAO nomen inditum.

Exercitui verò Christiano adversus Turcas, in Vngaria inferiore, Imperator hoc anno, fratrem Matthiam, & legatum illi CAROLVM Mansfeldum, Petri Ernesti Gubernatoris Lucelburgensis filium, Principis dignitate à se paulò ante Pragæ ornatum, præfecerat, qui eximia rei militaris scientiæ ac peritiæ & fortitudinis ac solertiæ singularis specimina, in Belgicis ac Gallicis bellis à prima ætate ediderat, & in administratione justus & severus

RUS

rus erat. Is ductas Gomorrham
copias, cum Iaurino minari
Turcis videretur, subito ad Stri-
gonium deflexit, quod calen-
dis Iulij Gregoriani, obsidere;
Nonis, oppugnare coepit. Erat
è regione arcis Strigoniensis, in
ripa Danubij boreali, situm ca-
stellum seu subvrbium, (quod
Kokern incolæ nominant) ex
quo in arcem aditus Turcis Da-
nubio subvectis patebat. Id Ni-
colaus Palfy Vngarus, Mans-
feldi jussu obsidens, vi tandem
expugnavit. 14. Iulij nostri.
Secuta est victoria illustrior,
cùm circiter vicies mille Turci,
Buda ad liberandam obsidio-
ne arcem Granensem profecti,
consilijs & virtute Caroli ab ar-
cis aditu depulsi & profligati

B 3

sunt,

1595.

C A R O L U S

sunt 25. Iulij nostri. Qua ob-
tenta, Mansfeldus Beglerbe-
gum Anatoliæ, qui præsidio
Turcico in arce præerat, vi-
rum senem & grauem, ad col-
loquiũ datis obsidibus evocat,
& ad deditiõnem arcis hortat-
tur. Quam ille ab Imperatore
Turcico suæ fidei & virtuti com-
mendatam tueri se ad extre-
mum spiritum decreuisse, & fi-
dem ac obedientiam Domino
suo debitam, vitæ ipsi prælatu-
rum esse, & hanc suam volunta-
tem Carolo ipsi non improbari
posse, ostendit. Paucis diebus
post Carolus, cum Dysenteria
& feбри conflictari cœpit. Qua
ingrauescente, etsi de medico-
tum consilio Gomorrhã sub-
uectus erat: statim tamen, arce
Stri-

M A N S F E L D.

Strigonij nondū capta, ex hac
vita decessit. atq; hic præstan-
tis ac peritissimi ducis, in me-
dio cursu rerum agendarum
abrepti, exitus fuit.

Familiæ seriem & cognatio-
nem cum Harcynijs Comiti- lib. 13.
bus, supra indicaui.

Albertus Comes Obijt 1484.

ERNESTVS Comes Mansfeldensis, qui Helde-
runge sedem aulae habuit, 22. liberorum parens, ob. 1532.

Philippus Ioan, Ge. Petrus ER= Io. Geb= Io. Ho= Io= Al-
orgius nestus, Gu= hardus ierus in bertus
Hugo Bruno Dresde bernator Lu= arch. Co= Artern in Arn-
iu Born Ob. 1579. celburgesis, lon. decem steini=
stedt ! annum 80. 1560. liberos tidena
Agnes arch. superavit habuit. decem.
Colon. !

CAROLVS, in Vngar-
ria Ob. 1595.

Furerunt autem, ALBER-
TVS Comes Mansfeldensis,

B 4 cui

1595.

GRAN captura.

cui Postilla sua Lutherus dedi-
cavit; & hic Ernestus, Petri
Ernesti pater; fratres patruales.

Gunterus.

Albertus

Ernestus

ERNESTVS

GEBHARDVS

ALBERTVS

Ob. 1532.

Ob. 1558.

Ob. 1560.

Petrus Ernestus.

Volra-

Ioannes.

Carolus

CAROLVS in

Volra-

|

ob. 1594.

Virgaria ob. 1595.

1578.

Ernestus Canoni-

cus Argentinen-
sis.

6. Augu.

Altera post obitum Caro-
li die, oppidum arcis Strigoni-
ensi subiectum, quod ab Aqua
nomen habet, incensum con-
flagravit. Sed ob vicinitatem
arcis, ex qua machinae in om-
nes oppidi plateas assidue vi-
brabantur, praesidium imponi
non potuit. Biduo post Mat-
thias

thias Archidux Austriae, in ca-
 stra venit, qui de consilio sena-
 tus bellici arcem Granensem,
 per milites Italos, Vngaros, &
 Germanos oppugnare acriter,
 sed infeliciter tentavit, donec
 tandem Vallonum praecipue
 & Italorum virtute ac solertia,
 rursus promotis ad arcis mœ-
 nia munitionibus, & propugna-
 culo arcis occupato, praefectus,
 Anatoliae Beglerbegus, cum
 Matthia Archiduce, datis utrin-
 que obsidibus, de conditionibus
 deditiois collocutus est. Di-
 missi autem sunt omnes praesidia-
 rij Turcici incolumes, cum bo-
 nis, quae gestare singuli possent,
 1500. milites integris adhuc
 viribus, 500. vulnerati ac æ-

8. Augu-
sti nostri23. Au-
gusti
nostri.

B 5 gri,

1595.

GRAN captum.

gri, 900. vxores & liberi. Quos,
nauibus triginta impositos, &
mox à Turcica classe exceptos,
secundo Danubio Budam de-
uehi liberos permiserunt. Ca-
ptæ arci Carolus Marchio Bur-
gaviæ cum suis præfectus est.
Reliqui exercitus pars VVisse-
gradum ad Danubium, medio
inter Strigonium, & Budam i-
tinere, à Turcis deditum, occu-
pauit. Vacciam irritò conatu
tentarunt. Qui ad Strigonium
desidebant ruderibus arcis di-
rutæ repurgatis, munitiones re-
ficere ac instaurare cœperunt,
& paulò post, cæteris militibus
partim dimissis, partim in hy-
berna vicinæ Vngariæ & Au-
striæ deductis; Nicolaus Palfy
cum præsidio arci impositus ef-
se

se scribitur. In superiore Vngaria, Equites Saxonici & alij sub archiduce Maximiliano ferè otiosi hac æstate desiderunt, nihil quod sciamus, memorabile gerentes, nisi quod exacto iam semestri, ineunte Octobri, semouentes, Tibiscum transgressi sunt, & S. Nicolaum Saruafsch, Bekesch castella, diffugientibus Turcis, occuparunt. A Zolnoc, arce illis in locis munitissima, eminus visa, & vix tentata obsidione, recesserunt.

Præcipium autem virtutis & fortitudinis bellicæ specimen, hac æstate, Sigismundus Bathor, Transyluanie princeps iuuenis, edidit, qui aliquoties cum præfectis Turcicis, viriliter cōgressus, impetum eorum re-

tudit,

1595.

TRANSYLVAN.

tudit, & arces, Transylvaniae vicinas, Genu, Lippam, Fochiat, Solymos & alias ad Marisium amnem, recuperavit, & tandem Sinamum Bassam ex VValachia Transalpina expulit: cum Sinamus Tergivisium usque, in finibus Transalpinae & Transylvanię prope Huzumezum oppidũ progressus fuisset. Adventante autem cum exercitu Sigismundo, paulatim recedens, Bucarestum in meditullio Transalpinae, ad Dambovitz fluvium, vbi sedes Palatini VValachiae olim fuit, regressus est. Inde quoq; fugientem insecutus Sigismundus, Girgio seu Girgovvitz arcem munitissimam à Georgio Despota olim ædificatam, & ma-
gno

gno apparatu bellico instructā,
cepit. Sinamo Bassa, trans Da-
nubij pontem, à se recens ex-
tractum, fugiente, & juga il-
lius rumpente, ne persequi eum
Transylvanus posset.

In Moldavia seu VValachia
superiore, Poloniae finitima,
Dux exercitus Polonici, Ioan-
nes Zamoiscius, cum Tartaris,
qui à Turco mandatū de VVeivoda
illic instituendo habebant,
congressus aliquot praeliolis,
eos repressit, ac tandem
instituta colloquutione de pace,
obtenuit, vt promitterent Tar-
tari, se intra triduum ex Mol-
davia cum exercitu discessuros,
nec contra Christianos intra
aliquot menses, per Poloniae
aut Moldaviae fines vnquam
pro-

1595.

M O L D A V I C A.

profecturos, nec VVeiuuodæ,
à Polonis Moldauix præfecti,
tranquillitatem & quietem,
toto vitæ illius tempore vnquã
turbaturos esse. Exeunte anno,
STEPHANUM VVeiuuodam à
Transyluano superiori æstate
constitutum, Zamoiscius vi-
ctum & captum in Poloniam
abduxit. Quo spectaculo nul-
lum gratius aut iucundius Tur-
cis exhibere potuit.

In G A L L I A, Henricus IV.
Franciæ & Nauarræ rex publi-
co edicto, de Hispaniæ Regis
hostili in Galliã animo, & dis-
sidijs, æmulationibus ac bellis
intestinis, ad Regni perniciem
ac euersionem spectantibus, in
Gallia, prætextu Religionis,
per Hispanum excitatis, & in-
sidijs

fidijſ viteꝝ regis, nuper etiam per
Iefuitas ſtructis, grauiffimè
cõquerens; Cameracenses quo-
que in tutelam Galliaꝝ regis nu-
per receptos, acerbiffimo Hi-
ſpani odio & armis infeſtari
memorans: bellum aduerſus
Hiſpanos, terra mariq; aper-
tum, denunciât, & in finibus
omnium prouinciarum; ad tu-
beꝝ ſonum proponi ac exclama-
ri iuſſit. ac ipſe Lugdunum, ad
pacandam eius vrbiſ viciniã,
& Hiſpani copias, ex Regno
Neopolitano & Mediolano
per Sabaudiam ductas, à Gallia
depellendas, profecturus, Lug-
duno & Pariſijs ſignificatur,

Hiſpanus viciffim, in Bra-
bantia, & Atrebatî, Valencenis,
bellum aduerſus Biarnenſem
Principẽ, qui ſe Franciaꝝ & Na-
uarraꝝ

1595.

C A M E R A C V M.

varræ Regem ausu temerario
nominet, pronunciari iussit: ac
ex diversis locis eum oppugnat;
in Provincia, Delphinatu,
agro Lugdunensi: in Burgun-
dia, (vbi Amyralis Castiliæ &
Mainius à Navarræo profliga-
ti, Divionem Burgundiæ Me-
tropolin amiserunt, quæ men-
se Iunio Regi tradita est: in Bri-
tannia citeriore: in primis ve-
rò in Belgici & Picardiæ fini-
bus, vbi post mortem Erne-
sti, Vicegubernator Belgici,
Comes Fonteius, initiò oppi-
dum Castelet, prope Camera-
cum, deditione; deinde Clerij
arcem propè Peronam: Postea
Dorlanum Picardiæ, exeunte
Iulio, vi expugnat, in qua cla-
de, multi nobiles Galli, & in
his

his, Villarſius Amyralis Gallia
 & Gubernator Rhotomagen-
 ſis deſiderati ſunt. Menſe Au-
 guſto tandem, CAMERAC-
 V M urbem & arcem muni-
 tiſſimam, (quæ Viennæ & Iau-
 rino non multum concedere
 exiſtimatur) Comes Fonteius
 ſummis viribus obſidet, ſum-
 ptus belli liberaliter cōferenti-
 bus vicinis Hannoniæ & Arte-
 ſiæ civitatibus Belgicis, quas
 perpetuis excuſſionibus Bali-
 gnæus, præſidij Cameraceniſis
 præfectus, afflixerat, & itinera
 mercatoribus omnia infeſta
 reddiderat. Premente autem
 comœtuum inopia, & alijs
 belli difficultatibus, & præſi-
 diarijs Helveticis ac civibus
 cum Fonteio conſpirantibus,

C

Came-

1595.

R E G I S G A L L I Æ

Cameracenses se, saluis corporibus bonis & priuilegijs suis, Hispaniæ regi spontè dediderunt, 22 nostri Septem. Recepti in arcem Dux Retelois Niuersij filius, & marscalcus Balignæus ac cæteri Gallorum duces, septima die post, incolumes cum omnibus bonis dimissi, Arcem cum omni instrumēto bellico & comēatu, Hispano tradiderunt.

Galliæ rex, duranre Dorlani & Cameraci obsidione, legatos ad Reginam Angliæ, auxilia petitū, aliquoties frustra miserat, ac tertius, intimus Regis secretarius, sub finem Septembris remeans in Galliam, dixerat se futurū postremum, qui è Gallia auxilium Anglorū peteret, regem-

regemq; Gallia ab amicis deser-
tum, cum hoste cōmuni prout
posset, transacturum esse. Inte-
rea Regina, misso homine suo,
Caletum vel Bononiam vel si-
mitem ciuitatem maritimā, à
Gallo poscebat, in quam auxili-
ares Angli, si quos mitteret, re-
ceptum haberent, & quæ pig-
noris loco esset pro ducenties
mille libris Anglicis, quas Re-
gina toto hoc belli tempore
pro Franco exposuisset. Tantā
enim summam, sine ulla spe re-
cuperationis, perire nolebat.
Imprimis autem reconciliatio-
ne Franci cum Pontifice, Re-
gni Anglicani hoste, & Abso-
lutione adeò indignè & abiectè
petita, offendebatur.

C 2

Dum

Dum enim Cameracum oppugnabatur, HENRICVS III. Galliaë & Nauarraë rex, post biennij ferè preces supplices, tandem à Pontifice, magna & solenni pompa, Romæ, ab omni hæresi & excommunicatione liber pronunciatus, & in Romanæ Ecclesiæ gremiū receptus, & Christianissimus declaratus est. Nam pridie Natalis Mariæ virginis, Pontifex Clemens VIII. in solenni habitu, ex suo palatio, in porticum D. Petri gestatus, cum Cardinalibus & Consiliarijs Inquisitionis & Pœnitentiarijs confedit. Deducti ad eum, per magistrōs Ceremoniarum, Regis Galliaë Procuratores, frequenti comitatu apparentes, pedem Ponti-

Pontificis osculati sunt. Quorum Princeps, Dominus de Perona, eleganti oratione latine habita, nomine sui Regis obedientiam subiectissimam detulit, & Absolutionem ac benedictionem Pontificiam humillimè petiuit. Oratione finita, Cosmus de Angelis, Sancti officij Inquisitionis affessor, Decretum Pontificis ex scripto legit, quo, absolutionem ab Episcopo & aliquot prælatis in Gallia superiori tempore, Regi Gallie & Nauaræ dictam, inualidam & nullam: Catholicos tamen actus omnes, à Rege postea præstitos, validos declarat, eumq; ab omnibus excommunicationibus ac censuris, præcipuè Sixti V. bulla, his

C. 3. legit

legibus absoluit: si procuratores, loco sui Regis, quem ratum habiturum omnia, quæ agent, pollicebuntur, omnes hæreses in genere, ac in specie Caluiniticam abiurabunt, & satisfactiones à Pontifice mandatas, recipient. Quæ omnia rex postea confirmabit, & Abiurationem in Gallia coram legato Pontificio, in propria persona, repetet. Statim igitur ambo procuratores, Abiurationem clarâ voce recitarunt, & professionem Fidei Catholicæ Romanæ ediderunt. Postea, Cosmus de Angelis, conditiones & satisfactiones pænitentiarias, Regi à PP. iniunctas, ex scripto prælegit, & Christianismi titulum Regi, facta iam abiuratione, tribuit. Con-

CONDITIONES propositæ fuerunt, vt Rex, Concilium Tridentinum recipiat, & in toto regno Franciæ obseruari curet. Quod si in aliquibus regni prouincijs sine periculo nouarum seditionum obtineri nequeat, veniam à PP. Rex petat.

Principem Condæum, puerum nouennem, proximum nunc regni hæredem, intra anni vertentis spatium, ab hæreticorū familiaritate, segreget & in Catholica Apostolica Romana Religione educari curet.

In Bearnensi principatu, ad episcopos vacantes, idoneos Episcopos nominet, ijsq; reditus ademptos restituat, & donec reddantur, ex regiæ Camerae reditibus alat. Vetera pacta cum Se-

1595.

REGIS GALLIÆ

de Romana, redintegret ac ser-
vet. Omnia beneficia, redi-
tus & bona Ecclesiastica, supe-
riorum temporum bellis alie-
nata, suis Episcopis, Abbatijs,
& ordinibus ac personis Eccle-
siasticis, restituat. Postremò,
Rex ipse, de sua conuersione,
& hæresum omnium detesta-
tione, omnes Catholicos reges
& principes, literis suis doceat.

Satisfactione autem Regi
has præscribit: singulis diebus
preces Coronæ Mariæ: diebus
& litaniam: b preces Rosarum
Coronæ Mariæ recitet, quam
aduocatam sibi coram DEO
eligat. Singulis diebus Mis-
sam ☉ & ☿ plenum officium au-
diat, nisi impediatur. In sin-
gulis regni provincijs mona-
sterium

sterium erigat : quater in anno confiteatur & communice: Ieiunia & vigilijs ab Ecclesia mandatas religiose seruet.

Has conditiones & satisfactiones, dicti procuratores & Oratores Regij de Peron & Orlat, sua subscriptione receperunt, & prostrati ad pedes Pontificis, qui humeros eorum virga subinde tetigit, jacuerunt, donec Psalmos, Miserere, & De profundis, Cantores Pontificij summissa voce cecinissent. Quibus absolutis, Pontifex exurgens, & mitra de capite sublata, preces aliquot ex Pontificali recitans, dictis Gallie regis Oratoribus, Benedictionem pronunciauit. Tandem Pontificius Fiscalis, sicut & Fiscalis,

1595.

REGIS GALLIÆ

calis inquisitionis, omnes Pro-
tonotarios & notarios præsen-
tes, in primis autem Dandinũ
& M. Flaminium notarium
Inquisitionis, ex officio requi-
siuit, vt huius actus memoriam
conseruarent, & instrumenta
publica de eo conficerent. Se-
cuti sunt statim sub porticu, tu-
barum & tympanorum soni-
tus, & ex castello S. Angeli, o-
mnia tormenta explosa.

Post hæc, templum S. Petri,
antea clausum, rursus apertum
est, & admoniti à Pontifice O-
ratores Regis Francici, Quem-
admodum ipse nunc Regi illo-
rum ianuam ecclesie militantis
in his terris iterum aperiat, ita
Regiam Maiestatem eniti de-
bere,

bere, vt viua fide & bonis operibus, se introitus in ecclesiam Triumphantem in cœlis faciat capacem. Ingressus templum S. Petri, concinentibus Musicis, Cardinalis de S. Seuerino supremus Pœnitentiarius, duos Gallia Regis Oratores ad vsum sacramenti, & vltorius ad SS. Petri & Pauli aram duxit, vbi preces dixerunt, & Cardinalis ipse, recitatis ex Pontificali orationibus, ab eis discelsit.

Inde ad Cardinalem Gioiosam, cum multis Prælati & nobilibus Gallis, in templum S. Ludouici se cōtulerunt, vbi supra portam templi insignia Regni Gallie cū huiusmodi inscriptione eminebant: HENRICVS IV.

GAL.

GALLIÆ ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISSIMVS. In eo etiam templo, Doxologiam solennem, TE DEVM laudamus, Galli cecinerunt, & recitatis per Archie. Ambronēsem precatiunculis certis, in hospitium redierunt. Plurimæ etiam Effigies Regis, pietæ, sculptæ ac expressæ, tota vrbe emptæ, & arma Gallica domibus Regi Gallia beneuolentium adfixa, & maxima pars vrbis, (Hispanis tamen exceptis) lætitiæ & gratulationis indicia illustriã ediderunt.

Dum hi triumphi Romæ aguntur, & Cameracum ab Hispanis obsidetur; ALBERTVS Archidux Austriae, Cardinalis Toleta-

Toletanus, Gubernator Belgi-
ci generalis à Philippo Hispa-
niæ Rege cōstitutus, ex Hispa-
niã in Italiam traiecit, & Ge-
nue, cum Regio comitatu,
mille equitum & ter mille pe-
ditum, appellit. Erat is Maxi-
miliani II. Cæsaris, & sororis
Philippi Hispaniæ Regis Ma-
riæ, filius, ordine post Rodol-
phum Impe. quintus, Anno
1559. Idibus Nouembris na-
tus: quem adolescentem pa-
ter in Hispaniam ad auuncu-
lum miserat, qui ingenium &
naturam illius probam, mo-
deratam, & placidam confide-
rans, opulentissima Toleti ar-
chiepiscopa ipsi attributa, Ec-
clesiæ Romanæ Cardinalem
creari curauerat. Cumq; ob
nati-

1595.

CARD. ALBERTVS

natiuam ingenij bonitatem, fidem, integritatem & morum comitatem, Regi ac omnibus ordinibus carus esset, Lusitanię regno gubernando eum postea præfecit. in quo, cùm summa dexteritate versaretur; nunc in Belgicum Ernesto successorem mittit, adiuncto ei legato, Philippo VVilhelmo, VVilhelmi Vrania Principis filio, quem ante 29. annos, Ferdinandus Albæ Dux, Belgici Gubernator, ex Academia Louauensi, adolescentem literis operam dantem, abreptum, in Hispaniam miserat. Vbi hucusq; exul, in Religione & moribus Hispanicis educatus, hoc tempore, omnibus bonis & dignitatibus paternis in Belgico restitutus est.

Cùm

Cum Genuæ in Liguria, Albertus commoraretur, & de Henrico Gallie Rege, per Pontificem Romanum, solenni ceremonia absoluto, & in gremium Ecclesiæ Romanæ recepto, didicisset: non progrediendum sibi celerius iudicavit, priusquam Hispaniæ Regem, cuius bona pars mandatorum ad Regem illum pertinebat, de his edocuisset, ac Instructionis antea acceptæ capitulum certorum declarationem petivisset. Itaque certum hominem ad Regem in Hispaniam, Philippum verò Vilelmum, Comitem Buranum, Romam ablegavit, ut, præter alia negotia, Pontifici obœdientiam exhiberet, & Alberto, licenti-

am

1595.

BELGICA.

am arma gerendi, & alia, referret. Sic bona autumnii parte & initio hyemis, in Liguria, Sabaudia, & Burgundia. confumpto, exeunte demum anno Lucelburgum peruenit.

Dum Genuam, initio Septembris, Philippus V Vilhelmus, comes Buranus cum Alberto Archiduce Austriae, in Italia appellit; Mauricius, frater illius, comes Nassavius, ordinum Belgici vnitorum belli praefectus, cum exercitu, ad Lippiam flu. prope Vesaliam, castra, seni Christophoro Mondragonio, Duci Hispanico opposita habens, desidebat. Cum autem PHILIPPO & ERNESTO comitibus à Nassovv ac Eberhardo à Solms, adjunctis aliquot

quot turmis equitum, mandasset, vt transgresso Lippa fl. explorarent, an & quo loco adoriri commodè exercitum Hispanorum possent; nec tamen præliandi copiam facerent, antequam ipse constituta horacum reliquo exercitu accessisset: Comites illi ardentes cupiditate pugnandi, & soli victoriæ gloriam obtinere volentes, non expectato Mauricio, Hispanos exiguo numero à castris longius prodeuntes, alacriter aggrediuntur & repellunt. Verùm Hispani, animaduersâ Nassouiorum paucitate, maioribus copijs ab ipso duce exercitus Mondragonio eductis, comites plerosq; lethaliter vulneratos capiunt, ex quibus Sol-

D men-

mensis & Nassouius Philippus, in hostium castris dum obligantur, extincti: Ernestus Nassouius in arcem Antuerpiensem, à Mondragonio arcis prefecto, custodiendus mittitur. Nec tamen cursum huius victoriae Hispani ulterius ad Mauritij castra progrediendo, vrserunt, nec Mauricius ex munitionibus castrorum sibi mouendum iudicabat. Sic igitur aliquot hebdomadas adhuc castra castris opposita tenentes, in Cleuensi agro desederunt, donec tandem Mondragonius prior, inde Mauricius, suas inde copias abduxerunt. Mondragonius vir fortis, & clarus militum Dux, vix trimestri exacto, in arce Antuerpiensi ex hac vita discessit. Gal-

Galliæ Rex, eodem quo hi Comites capti sunt, mense Septembri, à Pontifice Romano in gratiam receptus, Camera-cum ab Hispanis obsessum amisit: vrbe, 22. Sept. Iuliani: arce, die Michaelis nostri, Hispano tradita. Tanto igitur accepto detrimento, & Reginae Angliæ præsidio deinceps destitutus: de Pace cum Hispano restituenda tandem cogitat, cuius vt fundamenta quædã iaceret, inducias triū mensiū inter se & Maiennæ Ducē ac cæteros Gallos cum Hispano fœderatos initio Octobris sancit. Quibus cum anno exeuntibus, pacem generalem successurã esse, certa propemodum spes est.

TORVNIÆ in Borussia,

D 2 Mi-

1595.

S Y N O D V S

Ministri Ecclesiarum Euangelicarum, vt se nominant, ac eorum patroni, Palatini duo, quinque Palatinorum legati, Castellani quatuor & plurimi Nobiles alij, ex varijs regni Poloniae & magni ducatus Lithuaniae locis, 21. Augusti in Synodo conuenerunt, quam à Gratiarum actione & Inuocatione Dei solenni, in templo exorsi, & praeside Suuietoslao Orzelsci, Marscalco & Notarijs delectis: Causam conuentus per praesidem exponi audiuerunt, primum, vt de Consensu in doctrina, Sendomiriae olim à maioribus ipsorum inito, pie conseruando, deliberetur. Deinde, cum tot aduersariorum insidijs ac violentiae expositi sint, Qua
ratione

ratione PACEM Religionis, à Rege Sigismundo III. vt à prioribus Regibus, iuratam, retinere & integram ac illibatam tueri possint. Facta propositione, absentium Palatinorum, vilnensis, Polotiensis, Rauensis, Nicolai Osterogij, Constantini Palatini Kyouiensis, & Senatorum ex palatinatibus volhinia, Russia, Podolia, Podlassie, de cōsensu suo testificantes, & absentiam excusantes, auditi sunt.

Regis legato, Castellano Lenciciensi, conuentum intermitteri petenti, responsum est Nihil contra Regem aut rempublicam præsentes moliri, nec aduersus Regni constitutiones à se quicquam suscipi, sed de Priuatis suis Grauaminibus colloqui-

loqui, de quibus mox Regiam
Mtem certiozem reddere & de-
fensionem ab ipso petere decre-
uerint. Cumque ciuitati etiam
Turonienſi minatus eſſet lega-
tus, quod receptum huic con-
uenticulo præbuiſſet, respon-
ſum eſt, ciuitatem, Iudæis ac
Ethnicis patere, multò minus
ſe ab ea prohiberi poſſe.

Episcopi Cuiuienſis nun-
cio, insolentiùs de Episcopi
tanquam cuſtodis Religionis
& pacis publicæ, cui ſoli Syno-
dos indicere, eaſq; moderari
liceret, poteſtate iactanti, re-
tulerunt: Eſſi Episcopo nul-
lam in ipſos Iurisdictionem
habenti, nullam de ſuis actio-
nibus rationem reddere tene-
antur, tamen vt curiositati ipſi-
us ſa-

us satisfaciant, hanc causam conuentus illorum esse, vt si quid inter suorum Confessione coniunctos, dissidij fortè aut controuersiarum de aliqua doctrinæ parte, vel ἀταξίας in moribus incidisset, legitimè tolleretur, & pax ac Concordia in eorum Ecclesijs & Pax publica conseruaretur, sicut Apostoli in Actis, ea de causa Synodos celebrasse memorentur. Deinde, cùm atrocissimis iniurijs Evangelici ab aduersarijs afficiantur, oppugnatis, & solo æquatis eorum templis, quibusdam interfectis, & mortuis ex sepulchro exactis, & contumeliosè transfixis: cōuenisse se, vt calamitates has inter se mutuò deplorent, & de ratione Pacis &

D 4 secu-

1595.

S Y N O D V S

securitatis recuperandæ colloquantur. Videre autem sibi tot iniurijs affectis, ne quidem lacrymis deplorare, sua mala per sacrificulos licere. Quod si accedere Episcopus velit, urbem ei patere, & satis spacij vtrisque esse, Tantùm, vt ille cum suis res suas agat, vt ipsi se Episcopi deliberationibus immiscere non cupiant.

Sic legationibus expeditis, ad deliberanda duo capita proposita accesserunt, & Sendomiriensem Consensum de Doctrina, datis iunctisque dexteris Ministri ecclesiarum & Patroni plerique approbatum & receptum, subscripserunt. Cùm enim diuersas Confessiones in Polonia ministri antea secuti fuif-

fuiſſent, alij Auguſtanam, alij
Bohemicam ſeu fratrum, alij
Helueticam: placuit in conſen-
ſu Sendomiriendi & hoc Turo-
niendi, vt Syncretiſmus inter
hos aduerſus externos hoſtes ef-
ſet, ac nominatim de Sacra-
mento cœnæ Domini ſanciue-
runt, vt iuxta præſcriptum Au-
guſtanæ Confeſſionis (non Au-
guſtæ 1530. exhibitæ, ſed Con-
cilio Tridentino 1552. exhiben-
dæ) de illo doceatur. ac ſi quis
aliter doceat, loquatur, ſcribat,
vel amplexos conſenſum vitu-
peret, non habendum pro fra-
tre, nec in Eccleſijs regni Polo-
niæ Euangelicis tolerandum ef-
ſe. Hoc conſenſu conſtituto, ar-
ticulos aliquot ad diſciplinam
Eccleſiaſticam, & Scholam,

contributione procerum condendam, pertinentes, adiunxerunt.

Alterum caput deliberationis fuit, de pace & Securitate Evangelicis Ecclesijs paranda, cum omnibus notæ sint iniuriæ ac violentiæ illis illatæ. Nam & templa illorum, Cracoviæ, Posnaniæ & Vilnæ, ab aduersarijs eversa esse, & mortuorum sepulchris non parci, ex quibus nobilem quendam Bonarum & dominã Zeczulmuzkam extractos, palo transfixerint. Posnaniæ recens adhuc templum Aug. Conf. expugnatum & direptum fuisse. A Iesuitis, plebanos suæ religionis in pagis instrui, vt subditos & domesticos ministros procerum Evangelicorum, ad cædem Dominorum, promissa impuni-

punitate & premijs incitent. Imo
 vxores ad necandos maritos solli-
 citari. Ad has tetras machinati-
 ones avertendas, visum est, ex
 hoc conventu legatos ad Regiam
 Majestatem mittendos esse, qui
 expositis his gravaminibus & pe-
 riculis, propter D E V M orent,
 vt Regia Maiestas clementer ad
 se respicere, & fideles ministros
 ac subditos suos defendere ac tu-
 eri, & Confœderationi seu Paci
 Religionis Iurejurando sancitæ
 satisfacere dignetur, nec à pere-
 grinis (Iesuitis ex Gallia pulsis)
 qui alibi omnia turbarint, seduci
 se permittat.

Eadem ratione Cancellario
 magno & summo exercituum
 Ductori, ac vigili Reipublicæ,
 & alijs

1595. POLON. REINECCIVS.
& alijs Fratribus, supplican-
dum esse, vt quamuis in Reli-
gione aliquantum dissideant:
tamen communi pace & tran-
quillitate frui, & inimicis cru-
cis Christi vnanimiter & ala-
criter resistere possint. Legati
ad Regem, duo Palatini, Min-
scensis & Leszinscius, Ostroro-
gius, & alij fuerunt. Conuen-
tui circiter 60. patroni ecclesia-
rum, & 44. ministri interfue-
runt.

Mensis Aprilis huius anni,
duos de re literaria optimè me-
ritos & præstantes viros, in cœ-
lestem Academiam ex Saxonia
euocauit: die 16. REINERVM
REINECCIVM Steinhemen-
sem, virum optimum & do-
ctissimum, qui Historica præ
cipu

M. N E A N D R.

1595.

cipuè ac Genealogica studia, in Academia iulia scribendo excoluit, & omnium familiarum imperiosarum, quæ Monarchias, Regna vel Principatus, toto orbe terrarum nobis noto, inde vsq; ab initio tenuerunt, Genealogias & historias breues, in Syntagmate & Historialulia contexit, ac edito Onomastico Romano, & alijs præceptoris sui Glandorpij monumentis eruditis, multorum studia utiliter iuuit.

Meritò igitur memoriam illius omnes boni καὶ εὐφημία cum beneuolentia καὶ φιλίσσορες, conseruant. Die 26. MICHAELEM NEANDRVM Sorauiensẽ, qui ad Hercyniam, Scholæ Ilfeldensis, à postremo Abbate Tho-

1595.

M. N E A N D E R.

Thoma Stangio, institutæ stū-
dia, fideliter ac feliciter, totos
quadraginta quinq; annos re-
xit, & linguas, inprimis Lati-
nam, Græcam & Ebræam, so-
luta & ligata Oratione, exer-
cuit, & omnium ferè artium
liberalium Summas breues,
dulcissimis magnæ varietatis
sententiarum ac exemplorum
illecebris conditas, edidit, qui-
bus iuuentutis teneræ animos
mirificè sibi conciliauit. De-
cessit septuagenarius, Schola
incolumi ac florente, plurimis
honorificis discipulorum suo-
rum carminibus celebratus. πολ-
λὰ γὰρ ὡσηάμφοδον τοῖς πασι ἠείπε γήσιμα.
ΜΕΓΑΛΑ ΧΑΡΙΣ ΕΥΘΩ. Vnicum Lau-
rentij Rhodomanni
adscribam.



ΕΡΙ.

M. NEANDER.
EPICEDION

1595.

Beatis manibus

MICHAELIS NE-
ANDRI, V. CL. ET PRÆ-
clarè de studijs literarum & pietatis
meriti, consecratum

à

Laurentio Rhodomanno.

Dialogus Ilfeldæ & Hospitis.



*Vr ita Tyrigetum nunc Hercinis ora
resoluis*

*In lachrimas oculos in gemitusq;
animos?*

Occidit Hercyniæ lux illa NEANDER, & vna

Occidit heu patriæ spes propè tota Scholæ!

Sicne iacet, qui te famâ super æthere notam

Fecit ad Eoas Hesperiasq; plagas?

Siciacet; ille quidem vitæ satur atq; probatus

Sat meritis; summus quis mihi partus honor.

At quid sollicito tamen ultra corde requiris?

Si pia tot meritis mors data, nonne sat est?

Gymnasij, metuo, ne quam dux ille paravit

Gloria corruerit cum duce tota suo.

Non metus hic vanus. Quis enim dux inde iuventæ

Formandæ & Doctor tam tibi fidus erit?

Arte alij præstent docto fortasse NEANDRO;

Qui doceat iuvenes tam benè, nullus erit.

Hanc

1595.

M. N E A N D E R.

Hanc meritò laudem sibi vendicat ille secundas

In tua qui gestet commoda, forsan erit.

Hoc mihi sat fuerit. Violis nunc ossa NEANDRI

Spargo animam summo Christus honore beat.

E P I T A P H I V M
E I D E M.

Οἶϑ' ἔλω ἐπίχασμϑ' ἀν' ἐλλάδα, χησα
διδάσκων

κέρδε, εὐαθίης ἀνθεα δρεψαμλίης.

τοῖϑ' ἠγ' λογιῖ παρὰ τεύτισιν ἔσκε νεάνδρος

ερκωίης ὄφελϑ' σιλισίης δεφάϑ'. (εἶπε

ἄρμυϑ' ἠρ' εἰνοίε, φίλος ἄσοις. χήσιμα δ'

πασ' ἄειμνησον τῷ χᾶστ' εὐρεδαίον.

Qualis erat sapiens Græcis Epicharmus; in horto

Dum Sophiæ iuuenes commoda multa docet:

Talis docta fuit per Teutoniam arua NEANDER

Hercyniæ columen, Silesiæq; iubar.

Carus erat civi; bonus hospiti; ὅτ' apta iuventa

Tradidit; Hinc sancto gratia viua manet.

Quod ad Tempestates hu-
ius anni attinet, Hyems aspera
& diuturna, non riuos solùm
& flumina, sed maria etiam lit-
toribus vicina, Glacie concre-

ta,

ta, ab Idibus Ianuarij, ad Nonas Martij ferè tenuit, ne quis ex Draui vel Arni ostio, in vicinas Daniae insulas, per mare Balthicum trajicere posset. Itaq; magna agmina nunciorum, ex Polonia, Austria, Boemia, Patavio Italiae, & mercatorum & aliorum, in Daniam & Sueciam ire cupientium, magna cum molestia, remissionem frigoris & Glaciei solutionem expectarunt. Qua initio Martij tandem secuta, reliqui dies nihilominus planè hyberni & nivosi fuerunt. Aprilis totus horrido gelu & nivibus vberrimis, à Nonis ferè ad finem riguit, Majus tandem, quantumvis algens, frondes & flores arborum explicuit. Iunius & Julius toti imbribus gelidis madentes, rarissimis diebus serenis inter-

E polati

1595.

P A P A A D

polati fuerunt. Augusto mensis pluuiosa, Sed exeunte demum Augusto & Septembri, dies sereniores, quam æstate. In Octobri verò & Nouembri serenitas ferè Verna fuit. Decem-ber etiam, paucis diebus gelidis exceptis, prorsus autumnalem aëris constitutionem habuit, vt rerum naturæ ordine ferè in-uerfo, æstiuui menses in autumnales seu hybernos, hyberni in æstiuos, degenerarint.

CLEMENS PAPA VIII.

CHARISSIME IN
CHRISTO FILI NO-
STER: SALVTEM ET APO-
stolicam benedictionem.



VO maiori paternæ di-
lectionis affectu Maie-
statem Tuam in Domi-
no complectimur, eò ardentius

us

us optamus, omnes actiones
tuas summa pietatis & pruden-
tiæ laude, apud DEVM & homi-
nes cumulatas esse. Ex quò fit,
vt tantò grauius & vehementi-
us commoueamur, si quid eius-
modi audimus de te, quod à
tua virtute & perspecto erga
Catholicam Religionem zelo
alienum esse, aut tui nominis
gloriam, obscurare videatur;
Quale nunc allatum ad nos est,
de rebus Moldauicis, quæ non
sine magno doloris sensu ad te
scribimus; atq; vt paulò superi-
ora repetamus, Quanto studio
& contentione tecum egimus,
vt propter causam Dei, & totius
Christianæ Reipub. salutē & li-
bertatem à Turcarū immanita-
te defendendam, te ipsum cum

E 2 Filio

Filio nostro carissimo Rudolpho, Imperatore electo, cæterisque Christianis Principibus conjungeres, & tam insignem occasionem, tam præclare de DEO, de Fide Catholica, & de nomine Christiano merendi, ne dimitteres.

Ac licet tum, ob nonnullas tuas, & regni istius priuatas rationes dissimulandum, tibiq; compatiendum esse existimarem, si minus apertè in eam Christianorum Principum conjunctionem, contra infensissimum & communem hostem, nunc quidem descenderes, ne uè ad eius audaciam coërcendam vires tuas adhiberes, & adjuuenta palàm subministrares: semper tamen illud

lud pro certo habuimus, nihil omninò impedimenti à te allatum iri, quò minus & Cæsar & alij Christiani Principes suas injurias iustè prosequerentur, & jugum sævissimi Tyranni, cujus dominandi aviditas nullis finibus continetur, à suis cervicibus depellerent. Ut autè ipse Catholicos Principes & Christianæ fidei defensores, in Turcarum gratiam oppugnantes, teq; cum inimicis crucis Christi ita copulares, vt tua ope, eorum furor & vis augeretur, nostri non solùm debilitarentur, atq; in ipso victoriæ cursu retardarentur, sed in gravissima pericula conijcerentur: hoc de te nō modò non cogitavimus, sed ne leviter quidem

E 3 suspi-

suspicati vnquam sumus : quin & nunc vix adduci possumus , vt ea, à te vix acta credamus , quæ tanquam vera & indubitata referuntur.

Aiunt enim te cum Turcis & Tartaris communicatis consilijs conspirasse , & nominatim contra dilectum filium nostrum , nobilem virum SIGISMVNDVM Transilvaniae Principem, qui prælia Domini magno animo præliatur. Et tenim ne illi hostis superbissimi impetum conatusq; infringere liceat. quod hæctenus singulari Dei auxilio, super virilem partem est consecutus , sed vt potius rebus suis plurimum timere cogatur, triumvirum auctoritate & consensu, nouum in Moldauia prouincia VVaivvodam & Principem constitutum esse, & à Turcis, à Te, & à
Tarta-

Tartaris simul illū Moldaviæ præ-
fici. Quæ adeò nobis noua & in-
expectata, & præter omnē nostrā
de te opinionem, atq; adeò à tua
pietate & prudentia, visa sunt alie-
na, vt præ dolore & admiratione
penè cum Propheta exclamemus,
Obstupescite cœli super hoc, & por-
tæ eius desolamini vehementer?
Quid enim à nostra & bonorū o-
mnium expectatione alienius, aut
quid magis incredibile suspicari, co-
gitari uè potest, quàm SIGISMUN-
DUM Poloniae & Sueciæ Regē reli-
giosissimū, qui se Catholiciæ Reli-
gionis propugnatorem semper est
professus, qui victoriam populi
Christiani de teterrimis inimicis,
& gloriam crucis vel proprio san-
guine redimere paratus esset, hunc
adeo sui dissimilem repentè esse-

E 4 Etum.

Etum, vt sacri illius belli spem &
 felices progressionem, quantum in
 eo est, abrumperet, & vt Christia-
 no & Catholico Principi detrimen-
 tum inferret, non recusare foedus
 & amicitias inire, etiam cum effe-
 ratis Barbara immanitate genti-
 bus, suisq; proprijs & regni Polo-
 niæ perpetuis hostibus Tartaris.
 Quas ob causas, tanta doloris
 acerbitate cor nostrum discrutia-
 tur, vt facere non potuerimus,
 quin ad te literas per celerem ta-
 bellarium hac de re, daremus, vt
 vim mœroris nostri inspiceres, tan-
 tō citiùs, & nos, quæ noster pater-
 nus in te amor postulat, tibi in tam
 graui causa, mora abiecta, signifi-
 caremus. Nam & certum quoq;
 hominem huius rei causa fortasse
 ad te mittemus: angit enim nos
 hæc

hæc sollicitudo supra quàm dici
possit vehementissimè.

Itaque te Fili carissime horta-
mur, & quanta maxima possumus
efficacia monemus & obsecramus
in Domino, vt consideres attentius,
quantam DEI & bonorum om-
nium offensionem hæc tua actio
& deliberatio incurrat, quantam
Coronæ tuæ maculam inurat.
Crede enim nobis, qui tibi parentis
loco in Christo sumus, qui te non
fictè sed verè diligimus, qui tuam
in hoc seculo gloriam, in futuro æ-
ternam felicitatem optamus: Cre-
de nobis, magnam hoc famæ tuæ
apud Reges & Principes Christia-
nos labem inurit, grauitè omnes
ferunt, & tanquam monstro simile
detestantur, tua causa fieri, ne res
Christiana prosperè geratur: ne

Princeps generosus, qui se deuouit propter Christum, felices habeat progressus, in hoc bello tam pio, tam necessario, contra infideles Turcas & Tartaros non minus tuos, aut fortasse etiam magis, quam illius & cæterorum Christianorum Principum, hostes.

Sed quid dicimus? Transyluani Principis progressus impedire, parum hoc esset; immò verò in summum periculum conijcitur, & Turcarum furori obijcitur, ac propemodum traditur: atqui Princeps non solum Christianus & Catholicus, & pro fide bellator fortis, quæ virtus & inimicis admirabilis & amabilis esse solet: sed sororius tuus, tot propinquitatis vinculis tecum coniunctus, cuius liberi liberorum tuorum fratres erunt.

Quid

Quid agis fili carissime? vide, ne te omnes homines viuentes & posterum summæ inhumanitatis condemnent: Sed vide adhuc magis, ne in cognatos solum, sed in Deum ipsum, qui te duobus amplissimis regnis, & tot bonis cumulauit, parum gratus, parum pius uidearis: neue illum, qui reprobatur & dissipat mala & iniusta consilia, contra teipsum ad iracundiam prouoces: Et hoc, quod fratri tuo malum intulisti, in tuam & regni tui perniciem maximam (quod absit) iusto Dei iudicio reuertetur. An tu putas, Transyluano oppresso, te à Turcarum insidijs tutum fore?

An tu foedifragum illum ignoras? qui omnia sua utilitate periclitatur, qui nulli seruat fidem, nisi ex sui

sui commodi regula; qui omnia regna insatiabili cupiditate appetit; imò totius Christianitatis interitum sitit?

Cogita etiam, Fili, quanta electo Imperatori propinquo tuo injuria inferatur, è cuius Augusto sanguine filios & hæredes suscepisti, pro DEI gratia, & suscipies.

Quin etiam nostra, & hujus Apostolicæ sedis, quam adeò devotè semper coluisti, dignitas læditur, & mater tua charissima, quod te minimè omnium velle scimus, Romana Ecclesia offenditur, quæ hujus sacri belli gerendi causa, maximos & intollerabiles sumptus subit. Nostrorum autem viribus, juæ à te sublevandæ & augendæ

gendæ erant, tam alieno tempore, per hos Moldaviæ motus distractis atq; imminutis, contra hostium auctis & roboratis, in quæ discrimina & angustias exercitus noster Ecclesiasticus & Cæsarianus possit incidere: & quantopere totius belli hujus ratio & administratio perturbetur, nemo est qui non videat.

Sed & illud accedit, quod ad nostram & hujus sanctæ sedis dignitatem non mediocriter pertinet, Nos carissimo filio nostro RVDOLPHO, & SIGISMUNDO recepimus, & pro certo polliciti sumus, Regiam Matrem tuam, nihil omnino impedimenti aut perditionis eorum rebus allaturam, neq; hoc leviter confirmavimus, sed graviter
vi ad-

vi admodum ratione, non ex eo
 solùm, quod ita de te nobis pollice-
 ri, in tam causa iusta, meritò debui-
 mus: Sed quia à venerabili patre
 Episcopo sancti Seueri, nostro apud
 te Apostolico nuntio, id expresse et
 disertè ad nos perscriptū est, quem
 & nobis fidelem, & tui studiosum
 scimus, neque vllō modo in du-
 bium vocare possumus, quia ille ad
 nos de tam graui re scripsit, ex ore
 tuo accepisse.

Quæ cum ita se habeant, cum
 multiplicem huius rei gestæ absur-
 ditatem, ex omni parte, ne atroci-
 tatem dicamus, ipse videas: te ite-
 rum ac sæpius rogamus, vt his in-
 commodis, quæ necessaria sunt res-
 media, quamprimùm adhibeas,
 Principem Transyluanum soror-
 rium tuum tibi addictum, tuæq;
 bene-

beneuolentiæ cupidum, tuo patro-
cinio foueas, aut certè illi ne no-
ceas, imò toti Christianæ Reipu-
blicæ : neue Christi hostium
caussam vlla ratione subleues.

Quod si quid controuersia
cum Sigismundo Principe ha-
bes, aut aliquid ab eo desideras,
id ad nos, hoc est, ad patrem
tuum amantissimum deferas.
Scis, tuas res cordi nobis esse;
maximè speramus; DEO au-
tore, facile fieri posse, vt com-
modè aliqua ratio ineatur, qua
inter vos pax & tranquillitas
conseruetur, & inter tuos fra-
tres, filios nostros, vera con-
cordia coalescat, omnisq; ra-
dix amaritudinis ex eorum ani-
mis penitùs euellatur.

Hæc, ad te, Fili, liberè &
aperto

1595.

CHAM TART. REX

aperto cordis sinu, sed certè
dolenter, scripsimus, quia te-
amamus, & de tuo honore ac
solida utilitate solliciti sumus.
Tu re ipsa ostende, te sic illa ac-
cipere, ut à patre scripta, ita,
ut nostras paternas & salutare
cohortationes, aliorum mi-
nùs pijs consilijs omninò ante-
ponas. Cætera hoc de genere
intelliges ab eodem Episcopo
& Nuncio apud te nostro; cui
de more fidem omnem habe-
bis, perinde ac nobis ipsis. Da-
tum Romæ, Die VIII. No-
vembris, Anno Ponti-
ficatus nostri

Quarto.



EXEM-

EXEMPLAR LITTE-
RARVM TARTARICI
CZARY (vt vulgò appellant) ad Se-
renissimum Poloniæ Regem, ex eo-
rum lingua in Latinam
translatum.

CHAM KAZIKIEREY.

MAGNORVM DOMINIO-
rum inter Christianos,
Regi Poloniæ & Sueciæ,
fratri nostro, humiliter fron-
tem inclinamus. Significamus
in primis, Aaronem Palati-
num, proditorem & perfidum
fuisse, qui collecta Vvalacho-
rum manu, junctisq; sibi Hun-
garicis Cozacis, ortis deinde in-
ter ipsos disidijs, Vngarici Ko-
zaci in VValachia degentes,
Aaronem in vincula conje-
ctum ad Regem VViennensem
transmiserunt. Successit huic

F qui-

1595.

CHAM TART. REX

quidam postea proditor Roz-
vvan, qui etiam collectis ali-
quot militum signis, cœpit in-
festare vicinas ditiones magni
Turcarum Imperatoris: Quod
vbi ei significatum est, scripsit
ad me fratrem suum, vt quan-
tò citiùs VValachiam petam,
omnes hos perfidos puniam,
villas domosq; comburam, &
maribus ferro deletis, vxores
liberosq; in seruitutem abdu-
cam.

Hoc in mandatis habens,
ego magni dominiij magne Or-
dæ, magnus Chamkazykierey,
cum fratre meo Ietikeray, Gal-
ga, cæterisq; fratribus meis, &
consiliarijs Ducibus & Murzis
bellicosus & magnanimis, equo
meo conscenso, vnà cum exer-
citu

citu meo, venimus in VValachiam ad Pruti flumen, vbi cum alio flumine Cocora dicto jungitur.

Hic incidimus in fidelem Majestatis vestræ Servitorem, fratrem nostrum Cancellarium, qui etiam paulò prius, quàm nos, in VValachiam venerat, cum quo post levem altercationem, vbi lenius agere cœpi, significavit mihi, se ideò in VValachia versari, vt ex antiquo Poloniae jure, Palatinum VValachię restituat, nullo præjudicio facto de pactis & fœderibus, quæ cum magno Turcarum Imperatore habentur. Cupereq; se, vt Hieremias, quem iam Palatinum constituerat, jus in eam ditionem obtineret,

amicitiaq; vetus, qualis sub Sultan Solymano, Chamoque Davvlethgerdo fideliter servetur.

Quod cum ego pro mea parte me facturum jurassem, illeque similiter idem à suis, quos ad me miserat, jurari fecisset: Decrevimus simul, vt Kozaci trans Niestrum, homines insolentes & seditiosi penitus deleantur & eradicentur, ne deinceps vlla damna ditionibus magni Imperatoris inferre possint. Dona præterea, quæ olim iam inde à Solimanno mitti nobis solita erant, ne amplius detineantur, nullaq; in posterum damna nostris ditionibus inferantur.

Cùm itaq; nobis promisisset
Domi-

Dominus Cancellarius, curaturum se, vt Kozaci funditus deleantur: consensi & ego, vt ex volūtate vestræ Regiæ Mtis, fratris mei, Hieremias Palatinatum VValachiaë retineat, quod & jam statim ad magnū Turcarum scripsi Imperatorem. Quod si consensum Mtas vestra suum præbuerit ad ea, quæ nos cum Domino Cancellario hic decrevimus, tunc mecum atq; vna cum fratre meo, cæterisq; omnibus belli Ducibus & Murzis, æterno tempore amorem fraternum conciliabitis. Si verò Kozakos non deleveritis, tunc vos nec juramento nec pactis satisfacietis. Hæc mandavimus Legato fratri nostro Gianachmetagre,


1595. CHAMTART. REX AD POL.
Majestati vestræ exponenda,
quem vt Majestas vestra beni-
gnè accipere, donaq; per eum
nobis transmittere velit, peti-
mus, neq; enim iam alium hoc
anno mittemus. Data ad flu-
men Prutum. Anno Macho-
metis, Millesimo Quar-
to, Mense O-
ctob.

F I N I S.



2
i-
n
i-
OC
u-
o-






52 $\frac{6}{k, 2}$

AB 52 $\frac{6}{k, 2}$

X 219 9765

Sb.



CH
ad
E P Q
F
M
L
80

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

